

surus sum ego ipse. & non alius; & loquitur de visione post resurrectionem, ut supra dictum est. Ergo idem numero, homo resurget.

Præterea, Augustinus dicit VIII. Lib. de Trin. c. vi. quod resurgere nihil aliud est quam reviviscere. Nisi autem idem homo numero rediret ad vitam qui mortuus est, non diceretur reviviscere. Ergo non resurget; quod est contra fidem.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod oporteat pulveres humani corporis ad eandem partem corporis quæ in eis dissoluta est, per resurrectionem redire. Quia secundum Philosophum in II. de Anima, text. ix. sicut se habet tota anima ad totum corpus, ita pars animæ ad partem corporis, ut visus ad pupillam. Sed oportet quod post resurrectionem corpus resumatur ab anima eadem. Ergo oportet quod etiam partes corporis resumantur ad eadem membra, in quibus eisdem partibus animæ perficiantur.

2. Præterea. Diversitas materiæ facit diversitatem in numero. Sed si pulveres non redeant ad easdem partes, singulæ partes non reficiantur ex eadem materia ex qua prius constabant. Ergo non erunt eadem numero. Sed si partes sunt diversæ, & totum erit diversum: quia partes comparantur ad totum sicut materia ad formam, ut patet II. Phys. text. xxxi. Ergo non erit idem numero homo; quod est contra veritatem resurrectionis.

3. Præterea. Resurrectio ad hoc ordinatur quod homo operum suorum mercedem accipiat. Sed diversis operibus meritoris, vel demeritoris diversæ partes corporis deserviunt. Ergo oportet quod in resurrectione qualibet pars ad suum statum redeat, ut pro suo modo præmieretur.

Sed contra. Artificialia magis dependent ex sua materia quam naturalia. Sed in artificialibus ad hoc quod idem artificiatum ex eadem materia reparatur, non oportet quod partes reducantur ad eundem situm. Ergo nec in homine oportet.

Præterea. Variatio accidentis non facit diversitatem in numero. Sed situs partium est accidens quoddam. Ergo diversitas ejus in homine non facit diversitatem in numero.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod circa hanc quæstionem & Philosophi erraverunt, & quidam moderni hæretici errant.

Quidam enim Philosophi posuerunt, animas à corpore separatas iterato corporibus conjungi. Sed errabant in hoc quantum ad duo. Primo quantum ad modum conjunctionis, quia quidam ponebant animam separatam corpori iterum conjungi naturaliter per viam generationis. Secundo quantum ad corpus cui conjungebatur: (1) quia ponebant quod secunda conjunctio non erat ad idem corpus quod per mortem depositum fuit, sed ad aliud: quandoque quidem idem specie, quandoque autem diversum: ad diversum quidem quando anima in corpore existens præter rationis ordinem vitam duxerat bestialem, unde transibat post mortem de corpore hominis in corpus alterius animalis, cujus moribus vivendo se conformavit, sicut in corpus canis propter luxuriam, & in corpus leonis propter rapinam, & violentiam, & sic

(1) Al. Secundo quia.

de aliis; sed in corpus ejusdem speciei, quando anima bene in corpore vivens, post mortem aliqua felicitate perfuncta, post aliqua sæcula incipiebat ad corpus velle redire; & sic iterum corpori conjungebatur humano. Sed hæc opinio ex duabus falsis radicibus venit: quarum prima est, quia anima non conjungitur corpori essentialiter, sicut forma materiæ, sed solum accidentaliter, sicut motor mobili, aut homo vestimento; & ideo ponere poterant quod anima præexistebat antequam corpori generato infunderetur in generatione naturali, & iterum quod diversis corporibus uniretur. Secunda est, quia ponebat intellectum non differre à sensu nisi accidentaliter, ut scilicet homo diceretur intellectum habere præ aliis animalibus, quia in eo propter optimam corporis complexionem vis sensitiva amplius viget unde poterant ponere quod anima hominis in corpus animalis bruti transiret, præcipue facta immutatione animæ humanæ ad affectus brutales. Sed prædictæ duæ radices destruantur à Philosopho in Lib. de Anima; in quibus destructis, patet falsitas prædictæ positionis.

Et simili modo destruantur errores quorundam hæreticorum: quorum quidam in prædictas positiones inciderunt; quidam autem posuerunt animam iterato conjungi corporibus celestibus, vel etiam corporibus in modum venti subtilibus, ut Gregorius de quodam Constantinopolitano Episcopo narrat, Lib. XIV. Moral. cap. xxxix. exponens illud verbum Job xix. 26. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Et prædicti errores hæreticorum destrui possunt ex hoc quod veritati resurrectionis præjudicant, quam Sacra Scriptura profitetur. Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio est iterata resurrectio; ejusdem autem est surgere, & cadere: unde resurrectio magis respicit corpus quod post mortem cadit, quam animam quæ post mortem vivit: & ita si non est idem corpus quod anima resumit, non dicitur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo non currit per omnia, sed quantum ad aliquid. In seminatione enim grani granum seminum, & natum non est idem numero, nec eodem modo se habens, cum primo seminarum fuerit absque folliculis cum quibus nascitur. Corpus autem resurgens erit idem, sed alio modo se habens: quia fuit mortale, & surget in immortalitate.

Ad secundum dicendum, quod differentia quæ est inter animam resurgentis, & animam in hoc mundo viventis, non est secundum aliquod essenziale, sed secundum gloriam, & miseriam; quæ differentiam accidentalem faciunt: unde non oportet quod aliud corpus numero resurgat, sed alio modo se habens, ut respondeat proportionabiliter differentia corporum differentie animarum.

Ad tertium dicendum, quod illud quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem: quia remoto posteriori, remanere adhuc potest prius. Oportet autem, ut Commentator dicit in I. Physic. text. lxi. & in Lib. de substantia orbis, cap. i. in materia generabilium, & corruptibilium ante formam substantialem intelligere dimensiones non terminatas, secundum quas attendatur divisio materiæ, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit: unde & post separationem formæ substantialis à materia adhuc dimensiones illæ manent eadem; & sic materia sub illis dimensionibus existens, quam-

quancumque formam accipiat, habet majorem identitatem ad illud quod ex ea generatum fuerat, quam aliqua pars alia materiæ sub quacumque forma existens; & sic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducetur, quæ prius ejus materia fuit.

Ad quartum dicendum, quod sicut qualitas simplex non est forma substantialis elementi, sed accidens proprium ejus, & dispositio per quam materia efficitur propria tali formæ; ita forma mixtionis, quæ est forma resultans ex qualitatibus simplicibus ad medium venientibus, non est substantialis forma corporis mixti, sed est accidens proprium, & dispositio per quam materia fit necessaria ad formam. Corpus autem humanum præter hanc formam mixtionis non habet aliam formam substantialem nisi animam rationalem: quia si haberet aliam formam substantialem priorem illa, daret ei esse substantialem, & sic per eam constitueretur in genere substantiæ, unde anima jam adveniret corpori constituto in genere substantiæ; & sic comparatio animæ ad corpus esset sicut comparatio formarum artificialium ad suas materias quantum ad hoc quod constituuntur in genere substantiæ per suam materiam: unde conjunctio animæ ad corpus esset accidentalis: quod est error antiquorum Philosophorum in Libris de Anima reprobatus. Sequeretur etiam quod corpus humanum, & singulæ partes ejus non æquivoce retinerent priora nomina; quod est contra Philosophum in II. de Anima. Unde cum anima rationalis remanet, nulla forma corporis humani substantialis cedit penitus in non ens. Formarum autem accidentalium variatio non facit diversitatem in numero. Unde idem numero resurget, cum materia eadem numero resumatur, ut in præcedenti solutione dictum est.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod necessitas ponendi resurrectionem est ex hoc ut homo finem ultimum propter quem homo factus est, consequatur; quod in hac vita fieri non potest, nec in vita animæ separata, ut supra dictum est: alias vane esset homo constitutus, si ad finem ad quem factus est, pervenire non posset. Et quia oportet quod illud idem numero ad finem perveniat quod propter finem est factum, ne in vanum factum esse videatur, oportet quod idem numero homo resurgat; & hoc quidem fit cum eadem anima eidem numero corpori conjungitur, ut ex dictis patet: alias enim non esset resurrectio proprie loquendo, nisi idem homo repararetur. Unde ponere quod non sit idem numero qui resurget, est hæreticum, derogans veritati Scripturæ, quæ resurrectionem prædicat.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de iteratione quæ fit per motum, vel mutationem naturalem. Ostendit enim differentiam circulationis quæ est in generatione & corruptione, ad circulationem quæ est in motu cæli: quia cælum per motum localem redit idem numero ad principium motus, quia habet substantiam incorruptibilem motam; sed generabilia, & corruptibilia per generationem redeunt ad idem specie, non ad idem numero: quia ex homine generatur semen, ex quo sanguis; & sic deinceps quousque perveniat ad hominem, non ad eundem numero, sed specie: & ex igne generatur aer, ex quo aqua, ex aqua terra, ex terra ignis, non idem numero, sed specie. Unde patet quod ratio inducta secundum Philosophi intentionem non est ad propositum. Vel dicendum, quod aliorum generabilium, & corruptibilium forma non est per se subsistens, ut

post compositi corruptionem manere valeat, sicut est de anima rationali, quæ esse, quod sibi in corpore acquiritur, etiam post corpus retinet, & in participationem illius esse corpus per resurrectionem adducitur, cum non sit aliud esse corporis, & aliud animæ in corpore; alias esset conjunctio animæ & corporis accidentalis: & sic nulla interruptio facta est in esse substantiali hominis, ut non possit idem numero redire propter interruptionem essendi, sicut accidit in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interruptitur, forma non remanente; materia autem sub alio esse remanente. Sed tamen nec eriam homo per generationem naturalem reiteratur eidem numero: quia corpus generati hominis non fit ex tota materia generantis: unde est corpus diversum in numero, & per consequens anima, & totus homo.

Ad secundum dicendum, quod de humanitate, & de qualibet forma totius est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod idem secundum rem est forma totius, & forma partis: forma partis secundum quod perficit materiam; forma autem totius secundum quod ex ea tota ratio speciei consequitur; & secundum hanc opinionem humanitas secundum rem non est aliud quam anima rationalis: & sic cum anima rationalis eadem numero resumatur, eadem numero erit humanitas; & etiam post mortem manet, quamvis non sub ratione humanitatis, quia ex ea compositum rationem speciei non consequitur.

Alia opinio est Avicennæ, quæ verior videtur: quia forma totius non est forma partis tantum, nec forma aliqua alia præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ & materiæ, comprehendens in se utrumque; & hæc totius essentia vel quidditas dicitur. Quia ergo in resurrectione idem numero corpus erit, & eadem numero anima rationalis, erit de necessitate eadem humanitas.

Prima autem ratio probans diversitatem humanitatis futuram, procedebat ac si humanitas esset quædam alia forma superveniens formæ, & materiæ; quod falsum est. Secunda autem ratio etiam non potest identitatem humanitatis impedire: quia conjunctio significat actionem, vel passionem; quæ quamvis sit diversa, non potest impedire identitatem humanitatis: quia actio, & passio, ex quibus erat humanitas, non sunt de essentia humanitatis; unde eorum diversitas non inducit diversitatem humanitatis. Constat enim quod generatio, & resurrectio non sunt idem motus numero, nec tamen propter hoc impeditur identitas resurgentis. Similiter etiam nec impeditur identitas humanitatis, si accipiatur conjunctio pro ipsa relatione: quia relatio illa non est de essentia humanitatis, sed concomitantur eam, eo quod humanitas non est de illis formis quæ sunt compositio, & ordo, ut dicitur II. Physic. text. xxxv. sicut sunt formæ artificiarum: unde existente alia compositione numero, non est eadem numero forma dominus.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa optime concludit contra illos qui ponebant animam sensibilem & rationalem divisas in homine esse: quia secundum hoc anima sensitiva in homine non esset incorruptibilis, sicut nec in aliis animalibus. Unde in resurrectione non erit eadem anima sensibilis, & per consequens nec idem animal, nec idem homo. Si autem ponamus quod eadem anima secundum substantiam in homine sit rationalis, & sensibilis, nullas in hoc angustias patiemur: quia animal diffinitur per sensum, qui est anima sensitiva, sicut per formam essentialem: per sensum autem, qui est potentia sensitiva, cognoscitur ejus diffinitio, sicut per formam accidentalem.

lem, quæ maximam partem confert ad cognoscendum quod quid est, ut in I. de Anima (text. xi.) dicitur. Post mortem ergo manet anima, sensibilis sicut anima rationalis secundum substantiam; sed potentiæ sensitivæ secundum quosdam non manent; quæ quidem potentiæ cum sint accidentales proprietates, earum varietas identitatem animalis totius auferre non potest, nec etiam partium animalis; non enim dicuntur potentiæ perfectiones, vel actus organorum, nisi sint principia agendi, ut calor in igne.

Ad quartum dicendum, quod statua dupliciter considerari potest: vel secundum quod est substantia quædam, vel secundum quod est artificiale quoddam. Et quia in genere substantiæ ponitur ratio suæ materiæ, ideo si consideretur secundum quod est substantia quædam, est eadem numero statua quæ ex eadem materia reparatur. Sed in genere artificiale ponitur secundum quod est forma, quæ accidens quoddam est, & transit, statua destructa, & sic non redit idem numero, nec statua idem numero esse potest. Sed forma hominis, scilicet anima, manet post dissolutionem corporis: & ideo non est similis ratio.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in hac quæstione differt considerare quid fieri possit sine identitatis præiudicio, & quid fiet, ut congruentia servetur. Quantum ergo ad primum, sciendum, quod in homine possunt accipi diversæ partes totius dupliciter. Uno modo diversæ partes homogenei, sicut diversæ partes carnis, vel diversæ partes ossis; alio modo diversæ partes diversarum specierum totius heterogenei. Si ergo dicatur, quod pars materiæ redit ad aliam partem speciei ejusdem, hoc non facit nisi varietatem in situ partium: situs autem partium variatus non variat speciem in totis homogeneis; & sic si materia unius partis redeat ad aliam, nullum præiudicium generabitur identitati totius: & ita etiam est in exemplo quod ponitur in littera: quia statua non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam, secundum quam est substantia quædam. Sic autem statua est homogenea, & quamvis non secundum formam artificialem. Si autem dicatur, quod materia unius partis redit ad aliam partem alterius speciei; sic de necessitate variatur non solum situs partium, sed etiam identitas ipsarum; ita tamen si tota materia, aut aliquid quod erat de veritate humanæ naturæ in una, in aliam transferatur; non autem si aliquid quod erat in una parte superfluum, transferatur in aliam. Ablata autem identitate partium, auferitur identitas totius, si loquimur de partibus essentialibus, non autem si loquimur de partibus accidentalibus, sicut sunt capilli, & ungues, de quibus videtur loqui Augustinus. Et sic patet qualiter translatio materiæ de parte in partem tollit identitatem totius, & qualiter non. Sed loquendo secundum congruentiam, magis probabile est quod etiam situs partium idem servabitur in resurrectione, præcipue quantum ad partes essentielles, & organicas, quamvis forte non quantum ad partes accidentales, sicut sunt ungues, & capilli.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de partibus organicis, & non de partibus (2) similibus.

Ad secundum dicendum, quod diversus situs partium materiæ non facit diversitatem in numero,

(2) Al. similibus.

quamvis eam faciat diversitas materiæ. Ad tertium dicendum, quod operatio non est proprie loquendo partis, sed totius: unde præmium non debetur parti, sed toti.

ARTICULUS II.

Utrum omnia membra corporis humani resurgent.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non omnia membra corporis humani resurgent. Remoto enim fine, frustra reparatur illud quod est ad finem. Finis autem cujuslibet membri est ejus actus. Cum ergo nihil sit frustra in operibus divinis, & quorundam membrorum usus post resurrectionem non competat, præcipue genitalium, quia tunc nec nubent, nec nubentur; videtur quod non omnia membra resurgent.

2. Præterea. Intestina membra quædam sunt. Sed non resurgent: plena enim resurgere non possunt, quia immundities continent; nec vacua, quia nihil est vacuum in natura. Ergo non omnia membra resurgent.

3. Præterea. Ad hoc corpus resurget, ut præmiatur de opere quod anima per ipsum gessit. Sed membrum propter furtum amputatum furi, qui postea penitentiam agit, & salvatur, non potest in resurrectione remunerari neque de bono, quia ad hoc non cooperatum est, neque de malo, quia poena membri in poenam hominis redundaret. Ergo non omnia membra resurgent cum homine.

Sed contra. Magis pertinent ad veritatem humanæ naturæ alia membra quam capilli, & ungues. Sed capilli, & ungues restituentur homini in resurrectione, ut dicitur in littera. Ergo multo fortius alia membra.

Præterea. Dei perfecta sunt opera. Sed resurrectio opere divino fiet. Ergo homo reparabitur perfectus in omnibus membris.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod capilli, & ungues in homine non resurgent. Sicut enim capilli, & ungues ex superfluitatibus cibi generantur; ita urina, sudor, & aliæ hujusmodi fæces. Sed hæc non resurgent cum corpore. Ergo nec capilli, & ungues.

2. Præterea. Inter alias superfluitates quæ ex cibo generantur, maxime accedit ad naturam humanam veritatem semen, quod est superfluum quo indiget. Sed semen non resurget in corpore hominis. Ergo multo minus capilli, & ungues resurgent.

3. Præterea. Nihil est perfectum anima rationali quod non sit perfectum anima sensibili. Sed capilli, & ungues non sunt perfecti anima sensibili, quia eis non sentimus, ut dicitur in I. de Anima, text. lxxix. Ergo cum non resurgat corpus humanum nisi propter hoc quod est perfectum ab anima rationali, videtur quod capilli, & ungues non resurgent.

Sed contra est quod dicitur Luc. xxi. 18. *Capillus de capite vestro non peribit.*

Præterea. Capilli, & ungues sunt dati in ornatu homini. Sed corpora hominum, præcipue electorum, debent resurgere cum omni ornatu. Ergo debent resurgere cum capillis.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod humores in corpore

non resurgent. Quia I. Corinth. xv. 50. dicitur: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed sanguis est principalior humor. Ergo non resurget in beatis, qui regnum Dei possidebunt, & multo minus in aliis.

2. Præterea. Humores sunt ad restaurationem deperditi. Sed post resurrectionem nulla deperditio fiet. Ergo corpus non resurget cum humoribus.

3. Præterea. Illud quod est in via generationis in corpore humano, nondum est ab anima rationali perfectum. Sed humores adhuc sunt in via generationis, quia sunt in potentia caro, & os. Ergo nondum sunt perfecti anima rationali. Sed corpus humanum non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod est anima rationali perfectum. Ergo humores in eo non resurgent.

Sed contra. Quod est de constitutione corporis humani, resurget in eo. Sed humores sunt hujusmodi: quod patet per Augustinum, alium Auctorem de spiritu & anima, cap. xv. qui dicit quod corpus constat ex membris officialibus, officialia ex similibus, similia ex humoribus. Ergo humores resurgent in corpore.

Præterea. Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi. Sed in Christo resurrexit sanguis; alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem ejus in sacramento altaris. Ergo & in nobis resurget sanguis; & eadem ratione alii humores.

non resurgent. Quia I. Corinth. xv. 50. dicitur: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed sanguis est principalior humor. Ergo non resurget in beatis, qui regnum Dei possidebunt, & multo minus in aliis.

2. Præterea. Humores sunt ad restaurationem deperditi. Sed post resurrectionem nulla deperditio fiet. Ergo corpus non resurget cum humoribus.

3. Præterea. Illud quod est in via generationis in corpore humano, nondum est ab anima rationali perfectum. Sed humores adhuc sunt in via generationis, quia sunt in potentia caro, & os. Ergo nondum sunt perfecti anima rationali. Sed corpus humanum non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod est anima rationali perfectum. Ergo humores in eo non resurgent.

Sed contra. Quod est de constitutione corporis humani, resurget in eo. Sed humores sunt hujusmodi: quod patet per Augustinum, alium Auctorem de spiritu & anima, cap. xv. qui dicit quod corpus constat ex membris officialibus, officialia ex similibus, similia ex humoribus. Ergo humores resurgent in corpore.

Præterea. Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi. Sed in Christo resurrexit sanguis; alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem ejus in sacramento altaris. Ergo & in nobis resurget sanguis; & eadem ratione alii humores.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod non totum quod fuit in corpore de veritate naturæ humanæ, resurgat in ipso. Quia cibus convertitur in veritatem humanæ naturæ. Sed aliquando caro bovis sumitur in cibum. Si ergo resurget quidquid fuit de veritate humanæ naturæ, resurget etiam caro bovis; quod videtur inconueniens.

2. Præterea. Costa Adæ fuit de veritate humanæ naturæ, sicut & costa nostra in nobis. Sed costa Adæ non resurget in eo, sed in Eva; alias Eva non resurget, quia de costa illa formata est. Ergo non resurget in homine quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipso.

3. Præterea. Non potest esse quod idem in diversis hominibus resurgat. Sed potest esse quod aliquid fuerit de veritate humanæ naturæ in diversis hominibus, sicut si aliquis carnibus humanis vescatur, quæ in substantiam ejus transeant. Ergo non resurget in aliquo quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipso.

4. Si dicatur, quod non quidquid est in carnibus comestis, est de veritate humanæ naturæ; & ita aliquid eorum potest resurgere in primo, & aliquid in secundo: contra. De veritate humanæ naturæ maxime videtur esse illud quod a parentibus trahitur. Sed si aliquis non comedens nisi carnes humanas filium generet, oportet quod illud quod filius a parente trahit, fuerit de carnibus aliorum hominum quas pater suus comedit: quia semen est de superfluo alimentis, ut Philosophus probat in Lib. de animalibus, Lib. I. de generat. animal. cap. xvi. Ergo illud quod est de veritate humanæ naturæ in puero isto, etiam fuit de veritate humanæ naturæ in aliis hominibus, quorum pater carnes comedit.

5. Si dicatur, quod illud quod erat de veritate humanæ naturæ in carnibus hominum comestorum, non transit in semen, sed illud quod erat ibi de veritate humanæ naturæ non existens: contra. Ponatur quod

(1) Vulgata: possidere non possunt.

aliquis ciberet solum embryis, in quibus videtur nihil esse quod non sit de veritate naturæ, quia totum quod est in eis, trahitur a parentibus. Si ergo superfluitas cibi convertitur in semen, oportet quod illud quod fuit de veritate humanæ naturæ in embryis, qui etiam ad resurrectionem pertinent, postquam animam rationalem perceperunt, sit etiam de veritate humanæ naturæ in puero qui ex tali semine generatur; & sic cum non possit idem resurgere in duobus, non poterit in quolibet resurgere quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipso.

Sed contra. Quidquid fuit in homine de veritate humanæ naturæ, fuit perfectum anima rationali. Sed ex hoc habet corpus humanum ordinem ad resurrectionem, quia fuit anima rationali perfectum. Ergo quidquid fuit de veritate humanæ naturæ, resurget in unoquoque. Præterea. Si a corpore hominis subtrahatur aliquid quod est de veritate humanæ naturæ, in ipso non erit corpus hominis perfectum. Sed omnis imperfectio tollitur in resurrectione, præcipue ab electis, quibus promissum est Lucae xxi. quod capillus capitis eorum non peribit. Ergo quidquid fuit de veritate naturæ humanæ, resurget in homine.

QUÆSTIUNCULA V.

1. Ulterius. Videtur quod quidquid fuit materialiter in membris hominis, totum resurget. Minus enim videntur pertinere ad resurrectionem capilli quam alia membra. Sed quidquid fuit in capillis, totum resurget; & si non in capillis, saltem in aliis partibus corporis, ut Augustinus dicit in littera. Ergo multo fortius quidquid fuit in aliis membris materialiter, totum resurget.

2. Præterea. Sicut partes carnis secundam speciem perficiuntur ab anima rationali, ita partes secundam materiam. Sed corpus humanum habet ordinem ad resurrectionem ex hoc quod fuit anima rationali perfectum. Ergo non solum partes secundam speciem, sed omnes partes secundam materiam resurgent.

3. Præterea. Ex parte illa accidit corpori totalitas ex qua parte accidit ei divisio in partes. Sed divisio in partes accidit corpori ex parte materiæ, cuius dispositio est quantitas secundum quam dividitur. Ergo & totalitas corporis attenditur secundum partes materiæ. Si ergo non omnes partes materiæ resurgent, non totum corpus resurget, quod est inconveniens.

Sed contra. Partes secundum materiam non manent in corpore, sed fluunt, & refluant, ut patet per illud quod dicitur in I. de generatione, text. xxxv. & xxxvi. Si ergo omnes partes secundum materiam resurgent, vel erit corpus resurgens densissimum, vel erit immoderate quantitas.

Præterea. Quidquid est de veritate humanæ naturæ in uno homine, totum potest esse pars materiæ in alio homine qui ejus carnibus vescitur. Si ergo omnes partes secundum materiam resurgent in aliquo, sequitur quod resurget in uno id quod est de veritate humanæ naturæ in alio; quod est inconveniens.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut dicitur in II. de Anima, text. xxxvii. & xxxviii. anima habet se ad corpus non solum in habitudine formæ, & finis, sed etiam in habitudine causæ efficiendæ.

(2) Vulgata: possidere non possunt.